



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quòd magistratus punire tenetur periuria, quae hīc Deus grauiter punit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

maledixisse, sicut Helisæus pueris 4. Reg. 2. & Ne  
maledixit Chanaan Genes. nono, hoc tamen tantum  
blasphemis & obstinatis fecerunt. Cauendum est ig-  
tur, ne de facili transferamus execrationes ad vulga-  
ria negotia, quia in vsu temerario recidunt in caput  
eius, qui sic abutitur nomine Dei. Porrò in periurio  
duplex est peccatum. Primo, quia ibi gloria Dei laeti-  
tur cum citatur tanquam falsus testis, qui est summa  
veritas: nam solus Deus verax, Romanorum tertio,  
& ipse perdet omnes qui loquuntur mendacium, Psal.  
quinto. Deinde, quia periurus contemnit Deum vi-  
torem periurij, qui claris verbis dicit, Non erit inno-  
cens qui nomen meum in vanum assumperit, Exod.  
20. Et quoniam Deus non vult authoritate sui na-  
minis fieri id quod prohibuit, ideo illicita iuramen-  
ta non sunt seruanda. Sunt autem illicita iuramen-  
ta, in quibus aliquid promittitur quod est peccatum,  
aut sine peccato praestari non potest: ut si quis iu-  
ret se hanc vel illam violaturam virginem, hunc vel  
illum occidere hominem, aut facere diabolo iuramen-  
tum &c. maius enim peccatum est, praestare talia iu-  
ramenta, sicut Herodes simulauit se coactum iurando  
interficere Ioannem.

3. Postremò, quoniam Deus magna religione vult  
obseruari iuramenta, ybi inuocatum est nomen eius:  
ideo grauiissimum est peccatum, non seruare iuramen-  
ta facta Magistratibus & superioribus, non perpen-  
dere maximum hoc conscientiae vinculum. è diuer-  
so seruantes iuramenta sua, à Deo diliguntur. Psal.  
mo 14. Qui iurat proximo, & non decipit eum, is af-  
scendit in montem Domini. Sic David, Sic veteres  
Reges fidelissimi fecerunt in seruandis pactis & iu-  
ramentis, & Propheta Hier. quarto inquit: Iurabo,  
viuit Dominus, in veritate, in iudicio, in iustitia, in ve-  
ritate scilicet conscientiae, vt ita vel secundum con-  
scientiam faciam sicut iuro, in sermone veraci, ne  
alina

aliud loquar; aliud corde teneam: nam qui contrarium facit, non homini, sed Deo mentitur, Acto. 5. in iustitia dicit propheta, scilicet ut sit de re licita: ergo iuramentum Dauidis quod voluit occidere Nabal, fuit de re illicita 1. Reg. 25. & contra preceptum Dei, Non occides, & ideo illud retractauit. Sic erat illicitum iuramentum Iudeorum, quum dicebant Principi sacerdotum, Deuotione deuouemus nil degustatus nos donec occidamus Paulum, Acto. 23. Tertio minatur Deus poenas grauissimas periuris & blasphemis, sicut patet de rege Assyriorum & seruis eius, 4. Reg 19. Vbi angelus Domini percussit 185. millia de exercitu eius vna nocte propter peccatum blasphemiarum, & 2. Machab. 9. tradit historia, quomodo etiam Deus in hoc modo punit blasphemos, & propheta Nathan multum exaggerauit peccatum Dauidis, eò quod blasphemare fecerat inimicos nomine Domini, 2. Reg. 12. Et lex iubet Leuitici 24. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Sic & lapidatur in deserto blasphemus: & Christus accusatur coram Pilato tanquam blasphemus Dei, idque quasi ex lege, Mat. 26. Sic Cerin thum hereticum balneum oppresserunt, cum ibi contumeliosos sermones in Christum diceret. Deinde Apostolus periueros commemorat inter illos, quos DEVS tra didit in reprobum sensum, Rom. 1. & addit quod tales digni sunt morte, id est, damnatione aeterna. Quare periurium grauius est peccatum in suo genere, quam homicidium: quia hic corpus, ibi autem anima occiditur, anima vero damnatur. Tales autem rarissime prosperantur, ut sapiens est expertum. Eccle. 33. Vir multum iurans, replebitur iniestate. Et quoniam magistratus non tantum est defensor corporis, aut tutor iudiciorum, ac rerum politicarum, sed etiam est defensor Dei glorie & custos totius legis, quod ad externam disciplinam attinet, ad ornandam gloriam Dei, ut dicit Apostolus, Timoth. primo. Lex est posita in iustis &c. Ergo O tenetur

tenetur punire delicta externa aduersus omnia precepta Dei: punire igitur debet etiam periuria, contumelias externas & blasphemias nominis Dei, Epicureos sermones, atroces execrationes, idololatrias, & in primis haereticos ferentes falsa & impia dogmata, impios cultus, quos nouit esse falsos, &c. Et omnem talam magistratum vult Deus iterum glorificare & extollere, quod sic eum glorificarunt, i. Reg. cap. 2.

*TERTIVM DEI PRAECEP-*  
ceptum, Memento ut diem sabbathi &c. Exod. 20.

CAP. VI

ARGVMENTA.

1. Quare sit institutum sabbathum.
2. Quid sit feriari, & etiam sanctificare sabbathum.
3. Quomodo contemptores huius præcepti percutant, atq; puniuntur hic & aeternaliter.

I. **V**dæis fuit præceptum in veteri testamento, cum diligentia feriari sabbathum. Exo. 20. sic, ut non auderent incendi ignem ad focū in domibus suis, Exo. 3. & minitabatur lex transgressoribus mortem, Exo. 31. Sic etiā contigit Num. 15. Ideo Deus noster dedit illis Manna in deserto in sabbatho, ne colligerent & frangerent sabbathum. Unde in duplo antedicto sabbathi colligebant Exo. 16. Tale autem præceptum dedit eis Deus primò in signū inter Deum & populum suum atq; posteritatē illorum: nam Gentes nō colligebant sabbathū, ideo ut scirent Iudei, quoniam Dominus esset qui eos sanctificaret, dedit hoc signum Exo.